



1. Abichtij s. Joh. Georgij diff. de Claudio
Felice ad Act. xxio. v. 29. 25. Wittensb.
2. — diff. de summa Corolefie vero
Dignitate Wittensb. 1739.
3. — diff. s. Petrar vindictiva sapientia
divina circa Lapsum Adami,
Wittensb. 1739.
4. — diff. de Leye Sabbathi, Wittensb. 1731.
5. — diff. de fide Apostolorum tempore
christi in his terris degentis, Wittensb.
6. — diff. de animalibus Humani
post mortem Corporis viae, Wittensb.
7. — diff. de Immanuele ex Virgine
nascituro, Lipsie 1717.
8. Epini s. Franc. Alis diff. apologia
pro genuina Lutheri versione
Germanica dicti paulini Rem
in 17. Rostochi 1732.

9. Alberti s. Valentini diff. utrum mors Christi
dominata fuerit Lippiae 1688.
10. Bajeri s. Joh. Davi. diff. de Ceterali senatu
Conceplaster at. b. 1-6. de Agricultura
Altorfii 1737.
11. — diff. de pietate quæstuosa, Altorfii 1732.
12. — diff. de felicitate Ecclesiæ prepe, Altorfii
1730.
13. — diff. triumphus bone causa in
Coeo de Ecclesiâ Altorfii
14. Bajeri s. Joh. Wilh. s. diff. de variantium
Cettionum N.T. usq; Altorfii 1712.
15. — diff. de statu pie defunctorum
pacifico Altorfii 1686.
16. — diff. De presudicis practicis
christianis noxij, Altorfii 1717.
17. — diff. de pietate vera ex vera
fide formida, Altorfii 1720.
18. — diff. de affunctione seminis
Abrahe, Altorfii 1693.
19. Realthasar s. Joh. Henr. diff. de Augusta
na confessione, Gryphius 1725.
20. Bauer s. Godof. s. de Patriarchi
sanctitate, Lippiae 1736.
21. Beaumgarthen s. Seizim. post de
aamartoria Thresli. Hale 1711
22. Babelij s. Realth. s. diff. de vera
theologie phanrea, 1685.

23. Rebello f. Balth. diff. de Religionis salvo
in republica Damni, Argent. 1667.
24. ——— diff. de poenitentia Caporum.
Argent. 1708.
25. Bechmann f. Friedmann diff. de ex-
tranea iudicio, iude 1680.
26. Becker f. Petri diff. ex libens
miraculum solis ab Lund ad
passantiam Iosuæ & Iacobum.
iude 1703.
27. Beauer f. Joh. Horn f. diff. de
extinctione mundi suprema, Giffo
1733.
28. ——— diff. de Baptismo Episcopi-
rum nomine Christi e per-
vulgata sententia Act. IX v. 9.5.
non interpretande, Giffo 1733.
29. ——— specimen eloquentiae facie
in sermone pauli materia
pietatis concitati Gal. III. viii. 20
Giffo 1734.
30. ——— diff. de existentia
Dei et revelationis ejusq;
criticis. Giffo 1739.

a. 3 4

DISSERTATIO THEOLOGICA
SISTENS
VINDICIAS
SAPIENTIAE, BONITATIS
SCIENTIAE, IVSTITIAE ET PO-
TENTIAE DIVINAE CIRCA
LAPSVM ADAMI
CONTRA OPINIONES LEIBNITII
PRAESIDE
IO. GEORGIO ABICHT
S. THEOL. DOCT. ET PROFES. PVBL.
CONSIST. ASSESS. PASTORE ET
SVPERINT.
PRO CANDIDATVRA IN THEOLOGIA
OBTINENDA
AVCTORE
M. IO. RVDOLPHO KIESLING
ECCLESIAST. ET DIACONO VITEMBERG.

D. IX. IVN. A. R. G. CIO IO CC XXXIX.

VITEMBERGAE
TYPIS EPHRAIM GOTTLLOB EICHSFELDII
ACADEMIAE TYPOGRAPHI.

DISSERTATIO THEOLOGICA

ARTENS

VINDICATIS
SAPIENTIAE BONITATIS
SCIENTIAE HISTORIAE ET PO-
TENTIAE DIVINAE CIRCA
IAPSAVM ADAM
CONTRA OLYMPOVVS VARVNT.
PRAETRIBUS

IO. GEORGIO ABICHT
THEOL DOCT ET PROFESS PABER
CONSILLIUS ASSRESS PASTORIS ET
SAPIENTIAE

PRO CANDIDATURA IN THEOLOGIA
OBLITERANDA
ANTICHRISTI

W. IO. RADOLPHO KIESLING
ECCLIASIAT ET DIVOCANDO ALUMNIS
1616

1616 JULY 20 OF 1616 CE XXXIX

THESSALIAN GOTTFRED DICHTERDII
VOCATIONE THEOLOGIÆ



VINDICIAE
SAPIENTIAE, BONITATIS, SCIEN-
TIAE, IVSTITIAE ET POTENTIAE
DIVINAE CIRCA LAPSVM ADAMI.

THES. I.

Famōsa est quaestio, si Deus est sapiens & bonus,
vnde est peccatum?



Vaestionem hanc, quam plurimi docti-
ssimi viri nostro tempore magno labore,
multoque dissensu pertraetarunt. Prae-
termis aliis, adducam virum illustrem
Leibnitium, qui in Theodicea de bo-
nitate Dei, libertate hominis, & ori-
gine mali suse de ea egit. Quae do-
ctissimus Baylius de eadem quaestio-
ne, in dictionario critico, sub titulo

Rorarius, & alibi differuit, notissima sunt. Nec ignotus
est libellus, qui inscribitur: *Nouum tentamen, de bonitate Dei,
libertate hominis, & origine mali ex Anglico sermone in Gal-
licum versus, & Amstelodami Anno 1732 editus.* Prae-
ter hos doctissimos viros plures fuerunt, qui quaestionem
propositam variis modis explicare tentarunt, & plu-

A 2 res

res confessi sunt, quaestionem esse nodum, qui secari, sed non solui possit. Multi praetermisserunt veram mali originem, & substituerunt explicaciones philosophicas, quae mihi nunquam vilae sunt sufficientes, existimanti: mali originem esse aenigma, quod non ratione, sed reuelatione explicandum est. Nisi enim ad abusum libertatis, in lapsu protoplastorum conspicuum, recurramus, quaestionem difficultatem nunquam euidenter resoluemus, quod ex sequentibusclare patebit.

THES. II.

Deus est Sapiens.

Quando essentiale Dei sapientiam considero, cognosco ipsam Dei cogitationem perfectissimam; si vero Deum adspicio, & considero simul creaturarum essentias, naturas, ideas, earum existentias, modos, regimen & nexus, ob cogitationis meae angustiam & infirmitatem concipio consultationes Dei, ratiocinationes, conclusiones plurimas; sed cum mentem iterum ad Deum conuerto, non plures actus, sed unum saltem cognosco, nempe beneplacitum Dei, quo omnes rerum veritates, essentiae, existentiae, ordines, nexus constituuntur & ponuntur. Ratio est, quod ideae, essentiae, existentiae, ordines, etc. non sint aliquid absolutum ex parte rei, a se ipso dependens, sed quod omnia sint a Dei beneplacito determinata, ab eoque dependentia. Distinguendus enim est summus creator a creaturis. Sic concipimus sapientiam Dei in rebus, a beneplacito Dei constitutis & effectis. Quod vero res concernit, quas Deus hominum arbitrio & consilio reliquit, in iis sapientia Dei ita concipienda est: Deum ea, quae libero arbitrio hominum subiecta sunt, non determinasse, sed serio velle

SAPIENTIAE.

5

velle, ut omnes oblatam gratiam admittant; quod tot adhortationes, illuminationes, promissiones etc: indicant. Et qui hanc gratiam admittunt, & non renituntur, illi fruuntur bono a Deo promisso; Qui vero animos suos obfirmant, & gratiae oblatae resistunt, illi seipso bono promisso priuant. Hoc sensu dicitur de Pharisaeis, quod voluntatem Dei reiecerint contra se ipsos. *Luc. VII. v. 30.* Simili modo mala, quae a liberis hominibus sunt, sapientia diuina permittit, sed ab illis non laeditur, sed suo tempore illustrior redditur. Ceterum Deus suae sapientiae vias admirabiles occultat, ut nec a prudentioribus cognoscantur. Mihi videtur, sapientiam Dei optime probari revelatione, experientia, & ratione. Sacra scriptura, sapientiam Dei explicatura, nos remittit ad contemplationem coeli & terrae. Psaltes Psalm. CXXXVI. v. 5. 6. 7. dicit: (Deus) qui fecit coelos per sapientiam suam, qui expandit terram super aquis, qui fecit luminaria magna &c. Sapientissimus hominum Salomo, descripturus Dei sapientiam, ad creationem terrae nos dicit: *Ieboua*, inquit, per sapientiam fundauit terram, aptauit coelos, per intelligentiam suam. *Prou. III. v. 19.* Sacra revelatio nos etiam dicit ad considerationem magnitudinis infinitae sapientiae eius, afferitque, tantam esse distantiam inter sapientiam diuinam & humanam, quanta est inter coelos & terram. Per Iesaiam magnum illum Prophetam Deus dicit: *Cogitationes meae non sunt cogitationes vestrae, nec viae vestrae sunt viae meae; dixit Ieboua, sed quam altiores sunt coeli terra, sic altiores sunt viae meae prae viis vestris, & cogitationes meae prae cogitationibus vestris.* *Ief. LV. v. 8. 9.* Cognoscimus quoque sapientiam Dei in revelatione Euangeli de Christo, de quo Paulus dicit ad Coloss. II. v. 3. *In eo sunt (propter arctissimam duarum naturarum vniōnem in persona Christi) omnes thesauri sapientiae & scientiae absconditi. Ma-*

A 3 v. und annib. gna
1530

gna sane sapientia elucet, ex constitutione vniuersalis iustitiae & salutis per vniuersum orbem. Nos ipsi hoc vniuersum contemplantes, experientia agnoscimus infinitam Dei sapientiam. Qui attentis oculis naturae opera contemplantur, & nouas detectiones, quas Philiosophi in Philosophia naturali, Medici in Anatomia, & Astronomi in Astronomia, nobis exhibuerunt, contemplantur, ubique resplendere vident radios admirandae sapientiae. His ruto si dem adhibere possumus, quia non ex fictis quorundam Philosophorum praeiudicis, sed ex accuratis experimentorum obseruationibus sunt communicata. Sana ratio docet, Deum semper agere secundum principia suae sapientiae. Non enim existimo, Deum agere cum creaturis arbitrarie, sed in suis actionibus respicere creaturarum rationes & regulas, sapientissime ex beneplacito suo positas, & ex eorum libero arbitrio profluentes. Respicit Deus convenientiam moralem, legibus explicatam, dispensatque fauorem, & infligit poenas, pro hominum qualitatibus. Deus Opt. non mouetur delectatione arbitraria, nec vana gloria, nec ulla alia ratione, quae sapientiam diuinam excederet. Hinc quoque gentiles agnouerunt summam Dei sapientiam.

THES. III.

Deus est bonus.

Bonitas Dei, quatenus ipsam essentiam respicit, est plenitudo & perfectio diuitiatis. Bonitas vero Dei, quae creaturem respicit, in primis consideranda est. Haec bonitas est fons omnis realitatis, ex quo omnia realia, idealia, & existentia promanant. Hanc bonitatem non omnes accurate considerant. Quidam eam debilitant, dum statunt, Deum decreuisse, plures homines creare, qui in aeternum damnentur, ut gloria iustitiae patefiat. Sed hic conceptus,

ceptus, haecque cogitatio iniuria est in bonitatem Dei. Alii putant, Deum essentias rerum aeternas, quibus inhaerent mala, ex statu possibilitatis, in statum existentiae perduxisse, sicque omnia mala ad Deum Creatorem referunt, huncque mundum miserrimum, & tot malis mixtum condidisse statuunt, quae mihi monstrofa videtur sententia. Omnes boni optant, ut res quaedam in praesenti mundo meliores essent, nec appetet ratio, cur statuendum sit, Deum hunc mundum meliorem non fecisse, eumque esse optimum. Injurius est Leibnitius in bonitatem Dei, qui negat, bona primitiva esse a Deo, eaque potius deducit ex facta regione veritatum aeternarum, quam Deus intelligit, sed voluntate non approbat. Dicit enim: *Regio aeternarum veritatum est causa idealis tam mali quam boni.* Theod. §. 20. Bona primitiva omnia sunt ex bonitate Dei, mala vero primitiva, quae Deus nec decrevit, nec fecit, sunt a primo homine, qui liberam suam voluntatem indebite ad rem prohibitam determinauit. Omnia mala, eorum ideae, & possibilitates & actus sunt a solo homine peccante. Creator hominis non limitauit hominem, ut malum faciat, nec dedit ei libertatem, ut ea abutatur. Haec non audeo de Deo dicere, sed Deus homini libertatem dedit, ne eius obsequium esset coactum, aut seruile, sed ut homo sit diuinae bonitatis imago. Mala primitiva Deus neque decrevit, neque fecit, adeoque nullo modo ab eo sunt. Malum primitivum est ex indebita liberae voluntatis humanae determinatione, quae omnium malorum origo est. Malorum ideae, possibilitates, eventus, culpae omnes sunt a solo homine, cique soli imputandae. Neque Deus hominem liberum limitauit eo fine, ut fieret reus culpae peccati; sed Deus homini libertatem dedit, ne eius obedientia esset coacta. Neque mala derivata, & sensibilia a Deo sunt; miseriae,

riae, dolores, status anxii, & inquieti, non sunt a Deo bono, sed a primo homine peccante. In doloribus est sensibilitas, & sensibilitatis malum. Sensibilitas quidem a Deo est, malum vero ab homine peccante. Adamus peccans similis fuit homini, qui a solis luce recedit, & in tenebras ruit, cadit, languescit. Si Protoplasti non recessissent a Deo, sed eum semper respexit, non peccassent, nec in malum ruissent, nec suos posteros in illud coniecerent, & mundus praesens longe melior mansisset. Bonitas diuina est gloriosum illud attributum, quo agnoscimus, eum esse Patrem & Dominum huius vniuersi, cuiusque consideratio in nobis excitat amorem, admirationem, & timorem. Qui bonitatem Dei quodammodo cognoscere cupiunt, animum conuertant in bonitatem, quam in optimis hominibus obseruamus, & huius bonitatis ideae addant infinitam Dei bonitatem, infinitis gradibus humana maiorem. Hanc viam bonitatem Dei cognoscendi nobis ostendit Saluator Matth. VII. v. ii. *Si vos, qui tamen malis estis, nos sis bona dona dare filiis vestris; quanto magis pater vester, qui in coelis est, dabit bona, potentibus eum.* Saluator vult, vt oculos concinniamus in parentes, qui liberis suis benefaciunt, & adumbrat deinde bonitatem Dei Patris infinitis gradibus maiorem. Bonitas hominum est beneuola dispositio aliis beneficiandi, & plura bona conferendi, quam justitia praecipit. Bonitas itaque Dei est beneficia diuinae naturae dispositio, quae eum mouet, vt super omnes creaturas perpetuo, & sine fine effundat bona, quae eorum naturae recipere possunt. Hanc bonitatem explicat nobis Propheta Esaias Cap. XLIX. v. 15. *Num obliuiscitur mulier infantis sui, ut non misereatur filii ventris sui? Etiam si vero baes obliuisceretur, ego tamen non obliuiscar tui.* Eodem sensu dicit Jerem: Cap. IX. v. 24. *Ego sum Jeboua, faciens misericordiam, iudicium*

OMNISCIENTIAE.

9

cium & iustitiam in terra: nam bis delector, dixit Dominus. Conf. Psalm. CIII. v. 13. Qui opera Dei creationis, prouidentiae, & redemptionis considerare constituit, mente cognoscet bonitatem Dei, lingua humana ineffabilem. Bonitate & sapientia Dei incomprehensibilis varietas creaturarum ad existentiam producta est. Finita creatione, omnes creature Deus adspexit, easque optimas inuenit. Bonitas Dei omnibus viuentibus creaturis prospexit, & alimenta produxit. Divinus Psaltes haec admiratus est in Psalmo CIV. v. 27. *Omnes te expectant, ut des cibum eorum in tempore suo. Das illis, quod colligant; aperis manum tuam, & saturantur bono.* Conf. Psalm. CXLVII. v. 8. 9. Matth. VI. v. 26. Conspicua quoque est bonitas Dei, quae hominibus rationem & intellectum dedit, ut dominum super creature exerceant, Deumque adorent, & imitentur. Bonitas quoque Dei est, quae hominibus naturalem dedit conscientiam, quae distinguit inter bonum & malum, & interno instinctu ad Dei iudicium dicit. Quanta est bonitas Dei, quae eum mouet, ut mitteret filium, *ut omnis, qui credit in eum, non pereat, sed vivat.* Ioh. III. v. 16. Haec sacrae scripturae effata nobis reuelata sunt, ne homines errorem incurvant, seque Dei bonitate carere putent. Ratio ipsa nos docet naturam rerum euidenter probare, Deum esse optimum, eiusque bonitatem proponere fines, & diriger actiones, secundum sanae rationis principia.

THES. IV.

Deus est omniscius.

In consideratione originis mali aduertenda quoque est Omniscentia Dei, ne periculose in concilianda libertate arbitrii nostri, & contingentia rerum cum diuina praescien-

B

tia

tia hallucinemur. Datur triplex scientia Dei. 1) Naturalis, per quam omnia ea cognouit, ad quae diuina potentia siue immediate, siue interuentu causarum secundarum se se extendit, tum quoad naturas singulorum & complexiones eorum necessarias, tum etiam quoad contingentes, non quidem quod futurae vel non futurae essent determinatae, sed quod indifferenter esse & non esse possent, quod eis necessario competit, atque etiam sub scientiam naturalem cadit. 2) Alia est libera, qua Deus post actum liberum suae voluntatis absque hypothesi, & conditione aliqua cognouit absolute & determinate ex complexionibus omnibus contingentibus, quaenam re ipsa essent futurae. 3) Tertia denique est media, qua ex altissima & inscrutabili comprehensione cuiusque liberi arbitrii in sua essentia intuitus est, quid pro sua innata libertate, si in hoc vel illo, vel etiam rerum ordinibus infinitis collocaretur, acturum esset, cum tamen posset, si vellet, facere re ipsa oppositum, vid. Molina de liberi Arbitrii cum gratiae donis diuina praescientia & concordia. Art. XIII. disp. LII. p. 227. v. g. Deus praesciuit, si David Keilae permaneret ex arbitrio suo, Saulum esse descessurum, & Keilitas Dauidem esse extradituros; sed cum Dauid abiret, illud possibile (extraditio Dauidis) non fecutum est, licet Deo cognitione. Leibnitius scientiam mediari etiam admisit, sed explicat illam ex principio suo infinitorum mundorum possibilium in regione veritatum aeternarum repraesentatorum, dicit: oblationem Kegilae esse partem mundi cuiusdam possibilis, qui non differt a nostro, nisi in eo, quod conexum est cum illa hypothesis, & idem mundi possibilis repraesentasse id, quod in eo casu esset eventurum. Theod. §. 42. Sed cum Dauid quaereret, quid ciues Keilae facturi sint in hoc mundo, si ibi manereret, Deus apte non respondisset Daudi: ciues Keilae eum esse extradituros in alio mundo possibili. Sic enim Dei respon-

responsio non quadraret Dauidis petitioni. Deus quoque scientia media praeuidit, Adamum esse peccaturum, ita tamen, vt si Adamus voluisse, potuisset in hoc ipso mundo non peccare, quod Leibnitiani negant, quia omnes actiones externae, ex eorum hypothesi, praestabilitae, & infallibiliter praedeterminatae sunt, nec aliter evenire possunt.

THES. V.

Deus est justus.

Iustitia Dei essentialis est, qua Ens perfectissimum, potentissimum & liberum vult, vt sit, & fiat, quod eum decet. Iustitia Dei respectu huius vniuersi est, qua Ens perfectissimum, potentissimum & liberrimum vult, vt res, idae, naturae sint, & siant, prout ipsi placet, & essentiae diuinae conuenit. Non conuenit iustitiae Dei, essentias aeternas a se ipsis existentes, & malis metaphysicis contaminatas ad existentiam perducere, & mundum miserrimum creare. Deum iniustum pronunciant, qui talia docent, hominesque a Deo auertunt. Iustitia in homine est, qua homo liber vult, vt voluntas Dei fiat, hoc enim decet ens liberum, & a Deo creatum, eiusque naturae congruit. Homo rationalis non concipit, Deum posse aliiquid statuere, quod se ipso sit indignum, sed omnia, quae operatur, in se habent indicia Dei existentis. Nosque agnoscimus inde, Deum esse independentem, sapientem, potentem, & omnis boni autorem. Nos non cogitare possumus in Deo, eiusque actionibus esse aliiquid, quod Deum non deceat, aut iniustum sit. Iustitiam Dei optime cognovit & explicuit Iobus Cap. XXXIV. v. 10 - 12. Ideo viri cordis (sapientes) audite me: Est abominatio Deo ab omni impietate, & omnipotenti, ab iniquitate, quia opus hominis retribuet ei, & iuxta viam

viri inuenire faciet eum, & profecto Deus non agit impie, & omnipotens non subuerit iudicium. Iobus prouocat ad communem rationem hominum, ut scrutentur, & intuentur veritatem iustitiae. Describit iustitiam his verbis: *Deus opus homini retribuet, & cuivis secundum viam suam dabit,* concludit tandem: *Deus non agit impie, nec pervertit iudicium.* Est discrimen in natura rerum, quod naturale bonum & malum nuncupamus. Sunt quoque diuersae dispositiones, & qualitates in hominibus, quas bona & mala moralia vocamus. Ex decenti, vel indecenti applicatione qualitatum naturalium oriuntur notiones iusti vel iniusti. Homines iniusti sunt vel per ignorantiam iusti, vel ex incapacitate iustum consequendi, vel scienter & voluntarie recedunt a iusto, vel spe alicuius boni, vel timore mali. Quia vero tales causae iniustitiae in Deum non cadunt, necesse est, ut eius actiones semper sint iustae. Deus in sacra revelacione quandoque prouocat ad hominum iudicium, & praecipit, ut de suis actionibus iudicent, num iustae, an vero iniustae sint. Deus enim potentiam cognoscendi iustum & iniustum homini dedit. Sic Deus per Ezech. Cap. XVIII. v. 29. loquitur: *Nonne viae meae iustae fuerunt? O domus Israël: nonne viae vestrae sunt iniustae?* Sana quoque ratio docet: Deum non agere cum creaturis suis arbitrarie, sed secundum rationes rerum, quas regulas & mensuras actionum constituit. Deus semper respicit conuenientiam moralem, quam legibus praescripsit, & qualitates hominum, quibus fauorem dispensat, vel poenas infligit.

THES. VI.

In Deo est iustitia legislatoria.

Legistoria Dei iustitia est illa virtus, qua hominibus sanctas, i. e. perfectionibus suis conuenientes; & aequas,

IVSTITIAE LEGISLATORIAE.

13

aequas, i. e. ad naturam hominum accommodatas leges praescribit. Deo est ius hominibus leges praescribendi, quia homines creauit, & conseruat, neque enim essentiae animarum aut corporum sunt aeternae, sed a Deo statutae & creatae sunt. Et quia homines non tantum physice, sed & moraliter a Deo dependent, actiones quoque suas ad certam normam, a Deo praescriptam, conformare debent. Intelligimus quoque, normam eiusmodi hominum mentibus esse inscriptam, ex qua patescit, Deo competere ius homini leges praescribendi. Si vero essentiae hominum aeternae, & malis inclinationibus contaminatae fuissent, quibus ad actiones suas feruntur, frustra Deus leges praescripisset.

THES. VII.

In Deo est Iustitia vindicativa.

Ex iure creationis, & conseruationis Deo competit dominium in homines, qui non tantum physice, sed & moraliter a Deo dependent, iisque iure praescriptis leges, quas protoplasti sufficientibus viribus scientiae & potentiae instructi seruare potuerunt. Ad observationem legis divinae non necessaria erat infinita scientia, & potentia. Hinc Deo, qui leges tulit, etiam competit iustitia vindicativa, quae legum suarum transgressores punit. Si Deus non puniret legum transgressores, illae nullam vim obligandi haberent, & homini liberum esset, impune a legibus Dei recedere. Ideo Deus transgressoribus poenas infligit, ut violationem legum suarum vindicet. Haec iustitia Deo congrua est, ut ostendat, sui osores sibi dispicere, amatores vero placere, alias amatores Dei, & osores coram Deo aequales essent.

B 3

THES.

THES. VIII.

Iustitia Dei non recte descripta est a Leibnitio.

Putat Leibnitius in *Causa Dei asserta per iustitiam* §. 50. *Iustitiam esse bonitatem relatam ad creaturas intelligentes cum sapientia coniunctam.* Eundem sequitur philosophico imperio Cl. Carpouius in *Theol. reuelata* §. 69. his verbis: *Bonitas sapienter administrata, dicitur iustitia.* Putatque bonitatem administrari, vel eam exerceendo, vel exercitium eius suspendendo. Obstat vero, Deo, dum homines punit, bonitatem non tribui posse. Bonitas enim Dei est illud attributum, quo bona hominibus confert; in poenis autem bona non solum subtrahuntur, sed etiam mala positiva infliguntur. Concedo quidem, Deum posse dici bonum, respectu finis poenarum externi, quando aliorum securitas per poenam peccatoris intenditur; sed nego, Deum esse bonum respectu peccatoris, qui punitur, & in aeternum condemnatur. Sic Deus ratione medii poenalis non bonus, sed iustus vindicandus est. Aduertendum quoque est, fines poenarum externos impunitatem quandoque admittere in potentia; quod iustitiae diuinae vindicativae non conuenit, qui per iustitiam suam omnia peccata punit. Certum quoque est, ex hac iustitiae diuinae definitione aeternitatem poenarum minime deduci posse, maxime si supponas, poenas nexui rerum mechanico inesse. Deus nexus hunc mutabit: Praesenti enim nexui rerum poenae aeternae non insunt, sed in altera vita dispensantur. Deus vero iustus est, tam in praesenti, quam futuro seculo. Ex scriptura evidenter probatur, iustitiam diuinam punitiūm esse attributum Dei essentiale, vi cuius Deus punit omnia peccata vel propriis, & aeternis poenis, vel poena vicaria Christi

¶ 524.

OMNIPOTENTIAE.

15

Secundum patrum. Nec mirari debemus poenas aeternas; si enim diaboli & damnati in aeternum sunt, & manent mali, etiam necessè est, ut poenae sint aeternae.

THES. IX.

Deus est omnipotens.

Agnoscimus in Summo ente tantam voluntatis efficaciam, qua essentias, res, veritates a suo placito, statutas, ad existentiam perducit. Theologi iam dudum hoc ex revelatione docuerunt, & qui Deo hanc vim, & efficaciam denegat, affirmat, ei aliquid deesse, affirmat, ens perfectissimum non esse perfectissimum. Qui hoc negant, putant, Deo deesse efficaciam producendi ea, quae voluit, ut sint extra se posita. Deus itaque sua voluntatis efficacia potest suo effectu potiri, attamen eo modo, quo ipse voluit, non alio. Quae Deus statuit, ut necessario fiant, necessario fiunt; & quae Deus arbitrio creato reliquit, ex arbitrio creato fiunt. Creator rerum corporearum, & spiritualium, substantias & naturas, earumque primum statum absolute voluit existere, ideoque sine nostra voluntate exticerunt, & durarunt. Ipsum vero statum, durationem, & regimen optimum rerum voluit permanere interueniente arbitrio creato; quia vero haec conditio post creationem abfuit, voluntas quoque Dei de rerum statu primo iam ante abfuit. Mirum ergo non est, si effectus ille non substitit, quia causa eius, voluntas Dei, non adfuit. Spectatur potentia diuina absolute, quatenus nullam relationem habet ad res, quae existentiam, essentiam & veritatem habent, sed quae est ante omnia illa. Si enim concipiā, res illas non existere, sed tantum concepi, ut ideas a placito eius statutas, cognosco,

gnosco, potuisse Deum nil eorum efficere, adeoque nil praeter Dei naturam esse potuisse; nihilominus Deum ut potentem concipere debo. Haec Dei potentia concepta, antequam Deus ullam rem, essentiam, veritatemque statuerit, dicenda est absoluta. Quamuis enim Deus nullas essentias, ideas, veritates statuerit, nihilque praeter Deum, essentiam habuerit; Dei tamen voluntas tam perfecta & efficax fuit, vt essentias statuere potuerit, vel praesentibus similes, vel ab illis diuersas. Potentissimus est Deus ante omnem rerum determinationem. Mens nostra iam determinata est ad ea, quae existunt, eaque concipimus. Sed non concipimus omnia possibilia, ad quae se extendit potentia eius. Ut possibilium naturam recte concipiamus, consideremus, ante omnes ideas esse aliquid possibile; & hoc ex parte Dei efficientis nihil aliud est, quam efficacia voluntatis eius, qua agere & statuere potest, quod vult. Ex parte vero creaturae producenda est absolute nihil, & ne idea quidem. Possibile vero, quod habet ideam in Deo, quodque extra Dei conceptum ponи potest, est res & veritas non purum nihil. Et haec possibilia, quia prius ex Dei liberrimo arbitrio statuta, sunt naturae, essentiae, ideae, & veritates a Deo statutae; si accesserit Dei placitum de earum existentia, existunt. Inde patet, quod potentia Dei se extendat super omnes essentias & veritates rerum; nec necesse est, vt dicamus, essentias rerum non dependere a diuina voluntate; nec necesse est, vt admittamus perfectas regularitates, quales sunt essentiae, quae non diriguntur ab ullo ente intelligente. Velim quoque, vt consideretur per illas aeternas essentias, Deum fato cuidam subiici. Si enim datur propositiones aeternae veritatis, quae tales sunt per suam naturam, & non per Dei placitum, vel decretum Dei liberum; sed quas Deus cognovit necessario veras, quia talis

talis eorum natura est; cognosces aliquod fatum, cui Deus subiicitur, & necessitatem Deo absolute insuperabilem, quae nihil aliud, quam fatum est. Ulterius, si admittimus, essentias aeternas & necessarias, quas intellectus diuinus obuias inuenit in regione veritatum aeternarum, suis obiectis perfecte conformes, & a nullo ente intelligente directas, necesse est, ut admittas, causam exemplarem, quae intellectui diuino inseruit in creationis actibus, quod in Deum iniurium & contradictorium est. Denique, si illae essentiae aeternae, quae a se ipsis & a nullo ente intelligente sunt, non video, quid impediat, quo minus ex statu possibilitatis in statum existentiae prodeant, sine voluntate & potentia Dei, quod nuper Dn. D. Crumerus confessus est. Sic tandem Stratonicorum Philosophorum, & Chinensium Atheorum opinio inualescet. Haec omnia euanescunt, si essentias & veritates rerum subiiciamus Dei placito & efficaci eius voluntati sive potentiae. Mihi quoque videtur contradictorium, & in Deum iniurium, si dicamus, essentias rerum, quas Leibnitius cum Platone extra Deum ponit, & intellectus diuini obiectum externum facit, placito Dei non esse statutas, nec voluntate approbatas, & tamen a Dei potentia creatas esse. Mihi enim ridiculum videtur, Dei potentiam res ad existentiam perduxisse, quas voluntas non statuit. Hoc euitamus, quando de Deo docemus, omnes essentias & veritates a Dei placito esse statutas, & efficacia voluntatis eius creatas. Denique ex admissa hac veritate cognosco periculose quosdam dicere, ne Deum quidem hoc vel illud posse. Hoc mihi periculosum videtur, quia diuina potentia ab humano intellectu non comprehenditur, nec comprehendi potest, vnde ergo cognoscemus, hoc vel illud Deo esse impossibile. Hoc certum est, quod potentia diuina

C

nulla

nulla mensura capiatur, nullaque sphaera includatur, nec ab ullo homine comprehendatur. Qui ergo dicunt, *Deum hoc vel illud non posse*, supponunt, se sua mente potentiam Dei infinitam comprehendisse; supponunt, se concipere potentiam diuinam cum omnibus suis effectis. Tales locutiones audiuntur ab illis, qui supponunt naturas rerum possibles esse independentes, & a Dei placito non statutas; sed earum ideas esse necessarias, & Dei placito non determinatas. Ex his rationibus non approbare possum verba, quae leguntur in Metaphysica Cl. Wolfii §. 80. Vielleicht werden andere sich einbilden, der Wille und die Allmacht Gottes wären ein zurreichender Grund, warum einige Dinge untheilbar wären, und, ihre Figur und Größe hätten. Allein zu geschweigen, daß an seinem Orte erhellen wird, man könne sich in dergleichen Fällen nicht mit Bestand des Sakes von dem zurreichenden Grund auf den Willen, und die Allmacht Gottes berufen; so ist schon oben gezeigt worden, daß nichts zur Wirklichkeit gedenhen kan, das nicht möglich ist. Da nun die Möglichkeit das Wesen der Dinge ausmacht, und dieses nochwendig ist, so verstehtet sich auch schon hieraus, daß weder durch Willen noch Macht (Gottes) etwas möglich gemacht werden kan. Negat Cl. Wolfius, voluntatem & potentiam Dei esse rationem sufficientem, quae res quasdam indiuisibiles reddere, & rebus figuras & magnitudines dare possit. Si quaeras, cur limitat Cl. Wolfius Dei omnipotentiam, & quid illud est, quo potentia diuina limitatur? respondeo, eius essentiae aeternae limitant Dei potentiam, statuit enim potentiam essentiarum aeternarum maiorem esse potentia diuina. Sie potentiam diuinam subiicit necessitatī & fato. Ex his simul intelliges, quae radix sit rationis eius sufficientis; vides, eam poni in aeter-

aeternis essentijs. Nos vero radicem omnis rationis sufficientis vel causae efficientis ponimus in libera diuinae voluntatis efficacia, sive potentia diuina. Hinc prouocamus in omnibus rebus ad rationem sufficientem, quae posita est in voluntate & potentia Dei. Porro in allegatis verbis supponit Cl. Autor, nihil posse ad existentiam venire, nisi quod est possibile; & addit hanc rationem, quod possibilia sunt essentiae rerum, die Möglichkeit macht das Wesen der Dinge aus; quod nos quidem concedimus, si intelligatur de possibilibus a Dei placito statutis, sed id negamus, si intelligatur de possibilibus aliis, quae sunt a se ipsis, & placito Dei non statutis. Statuit Cl. Autor, possibilia, quae sunt necessaria, nec a voluntate Dei statuta, quae sunt a se ipsis ab aeterno, qualia nos constanter negamus, quia omnia possibilia ad Dei potentiam reducimus, ne incurramus difficultates iam supra allegatas. Reuicimus itaque verba illa Clar. Wolffii; neque voluntate neque potentia Dei aliquid possibile reddi. Haec sunt eius verba: So versteht sich auch schon hieraus, daß weder durch Wollen noch durch Macht etwas möglich gemacht werden kan. Loquitur de potentia & voluntate Dei, quod antecedentia docent. Conf. Vernünftige Gedanken von Gott, der Welt, edit. 1720. §. 80. p. 32. Agnouit Clar. Wolffius, haec verba nimis dura & iniuria esse in Deum, hinc in editione de anno 1736. ea emollire studuit his verbis additis: Was vor und an sich selbst möglich ist, darf nicht erst durch jemandes Willen oder Macht möglich gemacht werden, ob gleich das, was möglich ist, durch Willen und Macht die Würcklichkeit erreichen kan. Quae verba hunc sensum habere possunt: quae per se possibilia sunt, non per hominis voluntatem & potentiam (durch iemands Willen und Macht) possibilia reddituntur, quae si de hominis cu-

iusdam voluntate & potentia intelliguntur, vera sunt; si vero ea de Dei (qui inepte jemand dicitur) voluntate & potentia intelligis, falsissima sunt, omnia enim possibilia a Dei voluntate & potentia statuuntur. His similia sunt, quae ibidem adiicit verba: *Das, was möglich ist, kan durch Willen und Macht Würcklichkeit erlangen,* quae, si de hominis voluntate & potentia intelligas, etiam vera sunt. Homo enim quaedam possibilia efficere potest. Si vero ea possibilia, quae necessaria sunt, & a voluntate Dei non dependant, intelligat, sententiam prorsus negamus. Sic enim potentia Dei limitata est per possibilia necessaria, & a voluntate Dei non dependentia, qualia Deus nunquam creavit, neque produxit; sed quaecunque Deus possibilia ad existentiam perduxit, ea sunt a libero Dei placito statuta. Nolo Deum subiicere necessitati & fato, quod voluntatem Dei limitat, quo minus possit possibilia ipsa statuere. Neque possum limitare potentiam Dei, ut nihil aliud ad existentiam perducere possit, quam illa possibilia, quae necessaria, & a se ipsis sunt. Qui agnoscit talia possibilia necessaria, ille statuit entia necessaria, qualia nulla sunt, praeter attributa Dei, quae sola necessaria sunt. Talia statuerunt Plato aliquique Philosophi gentiles, creationis reuelatae ignari. Nos credimus & statuimus, Deum omnipotentem esse creatorem essentiarum a placito suo statutarum; nec ultum admittimus possibile ab aeterno necessarium, quod a Dei potentia sit creatum.

THES. X.

Protoplasti creati sunt in statu libertatis.

In protoplastis fuerunt animae liberae. Intelligo libertatem indifferentiae moralis, non mechanicae; libere enim

enim necessario agunt animae; intelligo indifferentiam regiminis, & determinationis actuum suorum: anima enim potest regere, & determinare actus suos, prout placet; potest se vertere ad hoc vel illud obiectum, nihil est in natura animae, neque extra naturam eius, quod eam liget ad hanc vel illam determinationem; anima intelligit, quid agere deceat, vel non deceat. Non equidem nego, rationes morales desumptas a motiuis, in determinatione actuum aliquid valere; sed saltem nego, motiuas rationes physice & necessario producere certas & infallibilis determinationes. Si quaeras, cur actus hic talis existit? quae est eius causa necessaria? respondeo, actus hic non habet causam necessariam, sed causam liberam; actus hic existit, quia libera mens eum voluit, mens libera est sufficiens ratio actionis moralis. Dicis, cur libera mens illum actum voluit? respondeo, ob veri vel boni cognitionem vel opinionem. Quaeris, cur illis motiuis & moralibus rationibus anima vult acquiescere? respondeo, quia ipsi animae sic placuit, quia ipsa ita voluit, nulla enim causa necessaria hic inuenitur. Haec est natura libertatis, vt libere hoc vel illud velit, & necessario id velit libere. Libertas non habet aliam rationem praeter se ipsum, & praeter suum velle. Inde est vnicce, quod mentes iure actibus suis teneantur, & quod peccatum sit culpabile; inde est, quod in poena sit summa iustitia, vti in retributione. Omnes conscientia conuicti sumus, nos in rebus ciuilibus esse liberos, & posse bonum eligere, malum evitare vel committere. Experientia nos docet, nos aliquando quaedam egisse, quorum nos deinde poenituit. Poenitentia inde est, quod aliquid egerimus contrarium illi, quod debuimus & potuimus facere. Praetermittimus etiam occasiones, quibus aliquid agere commode possumus,

DE IMAGINE DEI.

22

tuimus, & ex officio debuimus. Ex quo intelligimus, nos habuisse potentiam, id agendi, quod non egimus. Et quoniam hac hora loqui, & tacere, quiescere & corpus mouere possumus, cognoscimus, loqui & tacere, quiescere & corpus mouere, dependere a libera nostra voluntate. Si homines libero arbitrio non instructi essent, omnia, quae agunt, necessitati essent imputanda, nulla esset legis transgressio. Si homines liberam potentiam agendi non habent, frustra praescribuntur leges, frustra praemia, frustra poenae; homines enim inuiti delinquerent, & naturae necessitate coacti agerent.

THE S. XI.

Deus creauit homines ad imaginem suam.

In hac doctrina omnes tam veterum, quam recentiorum Philosophorum, & quorundam Theologorum seponimus opiniones, easque hic fuse pertractare declinamus, quia scopo nostro haud conuenit. Causam efficientem huius imaginis diuinae nequaquam mutuae cuidam inter Deum & hominem communicationi assignamus; neque imaginem ipsam per eandem idiomatum diuinorum communicationem describimus, aut in sola sancta voluntate, aut dominio in creaturas collocamus; sed in conformitate hominis cum Deo, ratione sapientiae, & cognitionis in intellectu, ratione iustitiae, & sanctitatis in voluntate, & ratione *euangelicas* in omnibus cupiditatibus, totoque in corpore, quibus immortalitas & imperium in res creatas acceperunt, ponimus. Historiam huius beatae efformationis hominis ad imaginem diuinam claris verbis refert Moses, Genef. I. v. 26. faciamus homines ad imaginem nostram, secundum similitudinem nostram; Vox ☞ significat relationem cuiusdam rei ad alteram, cui similis est, & in sensu

DE STAT. PROTOPLAST. ANT. LAPSVM. 23

su eminentiori Christo assignatur. Ioh. XIV. v. 9, 10. *qui me vider, videt Patrem.* In gradu minori homini attribuitur, quia imago Dei in eius intellectu & voluntate resplendit, quod ex refectione huius imaginis planum est. Col. III. v. 10. *ἀνανεώσουσιν τὸν θεόποντα εἰς ἐπίγνωσιν.* Eph. IV, 24. Bene hoc explicauit B. Augustinus Lib. VI. Cap. 12. de Genes. Hoc excellit in homine, quia Deus ad imaginem suam hominem fecit, propter hoc, quod dedit illi mentem intellectualem, quae praefat pecoribus. Fuit haec imago Dei in homine accessorum, quod amitti potuit, & instaurari debet.

THES. XII.

*Protoplasti ante lapsum in beato immortali-
tatis statu creati fuerunt.*

Protoplasti a Deo acceperunt animas rationales & immortales, nec non corpora non mortalia, quae vero hominis culpa mortalia fieri potuerunt. Deus creauit & inspirauit Adami corpori spiraculum vitae Gen. II. v. 7. i. e. dedit ipsi animam ex nulla materia creatam. Inspirauit, i. e. immediate dedit, & quasi de suo largitus est, quod immortalitatem indicat. Reliquorum animalium animae etiam a Deo sunt creatae, sed non insufflatae, quod altiorum, & a mortali brutorum statu secretam animae humanae naturam indicat. Poetae, qui animam diuinæ auræ particulam appellarunt, forte ad Mosis historiam respexerunt, & intellexerunt, animam immediate a Deo inspiratam. Saluator noster dixit: *homines non posse animam interficere* Matth. X. v. 28. Si destructo corpore etiam anima interiret, possem dicere, homicidam posse etiam animam occidere. Haec intelligenda sunt de immortalitate animae intrinse-

24 DE PECCATO PROTOPLASTORVM.

intrinseca. Extrinsico vero eam a Deo destrui posse, nemo negat. Corporis nostri mortalitas est ex peccato, quod Paulus docuit Rom. V. v. 12. *per peccatum intrasse mortem, & sic mortem transisse in omnes homines, quia omnes peccarunt.* Deus creauit hominem *in αρθρωτα*, incorruptibilem, & mortem non fecit. Sap. I. v. 13. Sed haec diaboli inuidia in mundum intravit. Sap. II. v. 23. Compositio ex puluere indicat potentiam resoluendi remotam, non proximam, nec ab interno principio promanantem. Arbor vitae erat remedium immortalitatis naturalis. Immortalitas, quae a cibo & remedio naturali pendet, illa naturaliter immortalis est. Locus, in quo protoplasti collocati sunt, est Paradisus, i. e. hortus amoenus, Gen. II. v. 8--14. Cultura huius horti non erat laboriosa, sed iucunda.

THES. XIII.

*Peccatum protoplastorum consistit in libera re-
cessione a Deo.*

In corporis natura non inuenitur quicquam peccaminosum. Corpus enim est extensum, diuisibile, mobile, quiescens & sic creatum est a Deo, ideo non est peccaminosum. Nec absentia realitatum maiorum gignit suspicionem peccati, quia nihil sunt. Nec corpus certa mole, certisque figuris, motibus, humoribus, temperamentis, praeditum, peccato originem dedit. Sed in mente quaerendus est fons peccati; sed nec in eo, quod materiale cogitationis appellatur, nempe consciuum esse, vel percipere, quae in me sunt, mali causam inuenio, hoc enim opus Dei est. Sic nec ignorantia rerum quarundam, quae animae creatae conuenit, est scaturigo peccati: parvulis enim

enim ignorantia non imputatur in peccatum. Superest ergo, ut in actu cogitationis quaeram peccatum. Dederat Deus protoplastis libertatem, eo fine, ut actiones eorum essent liberae, virtuosae, nobiles, non coactae. Sed protoplasti hanc facultatem libertatis determinarunt ad recessionem a Deo, & ad faciendum, quod erat prohibitum, & hoc actu lapsi sunt. Vt homo, qui procedit in luce, recte procedit; si vero a luce abit, venit in tenebras. Sic Adamus recessit a Deo, & abiit in tenebras, inde orta sunt in protoplastis plura peccata & mali habitus. Hinc patet, Deum protoplastis non dedit potentiam peccandi, nec eos determinasse ad peccatum, sed ipsi protoplasti omiserunt, quod sui erat officii, non manserunt apud Deum, sed recesserunt ab eo, & lapsi sunt in peccatorum tenebras. Si protoplasti mansissent apud Deum, & a se ipsis, tanquam a se ipsis, & independentibus a Deo, nihil determinassent, non peccassent. Peccarunt, quia fese a Deo auerterunt, & facultatem libertatis tanquam indeterminantes ad prohibitum determinarunt. Haec est omnis mali scaturigo.

THES. XIV.

Leibnitii Systema de lapsu Adami varias supponit hypotheses falsas.

Leibnitius systema suum de lapsu Adami nullibi coniunctum exposuit; sed ex eius Theodicea hinc inde colligendum est. Ille supponit i) regionem veritatum aeternarum, in qua inuenisse putat formas primitivas boni & mali. Putat, quod regio veritatum aeternarum sit substituenda in locum materiae, quam gentiles Philosophi aeternam esse opinati sunt, & in illa querendam esse scaturiginem omnium rerum. Illam regionem

D

nem

nem veritatum dicit esse Causam idealem tam mali quam boni. Si quaeritur, unde est malum? Si Deus est, unde malum? Si non est, unde bonum? Respondet Leibnitius: antiqui attribuerunt causam mali materiae, quam crediderunt increasam & independentem a Deo. Sed nos, qui derivamus omnia entia a Deo, ubi nos inueniemus originem mali? Respondet Leibnitius, quod querenda sit in natura ideali creaturarum, quatenus illa natura comprehensa est in veritatibus aeternis, quae sunt in intellectu Dei, sed independenter a sua voluntate. Conf. Theod. §. 20. Vti gentiles materiam aeternam statuerunt; sic Leibnitius essentias aeternas statuit extra Deum. Supponit Leibnitius 2) esse imperfectiones quasdam originales in creatura ante peccatum, quoniam creatura limitata est essentialiter. Inde se putat, creaturam posse fallere, & varios errores committere. Plato dixit, inquit Leibnitius, in Timaeo: mundum originem suam trahere ex intellectu necessitati adiuncto. Alii coniunxerunt Deum & naturam, qui bono sensu possunt explicari. Deus erit intellectus, & necessitas, i. e. natura essentialis rerum erit obiectum intellectus diuini, quatenus consistit in veritatibus aeternis. Sed hoc obiectum est internum, & inuenitur in intellectu diuino. Conf. Theod. l. c. Sic aeternae essentiae in intellectum Dei agunt, eumque determinant. Sunt ergo duo aeterna principia. 3) Supponit Leibnitius imperfectionem creaturarum originalem inueniri in ideis aeternis, & primam & remotam esse causam peccati. Videamus eius verba, quae in Theodicea §. 288. scripsit: Nos stabiliimus liberum arbitrium esse causam proximam mali culpae, & deinde mali poenae, quamvis verum sit, quod imperfektio originalis creaturarum, quae inuenitur repraesentata in ideis aeternis, sit eius prima & remota causa. Sed hanc remotam causam peccati ignorat Reuelatio. 4) Putat Leibnitius, Deum determinare futura contingentia, quia illa praevidebit

dit in aeternis veritatibus. In Theodicea §. 42 dicit: *Praescientia futurorum contingentium non est fundamentum certitudinis ipsius praescientiae, quae nobis difficultatem pariat, aut libertati praejudicare possit. Et quamvis verum & possibile sit, quod futura contingentia, quae consistunt in actionibus liberis creatorum rationalium, sint prorsus independentia a decretis Dei & causis externis, tamen supereft medium ea praeuidendi: Deus enim videt ea, quia sunt in regione possibilium (aeternarum veritatum) antequam decreuit, ea ad existentiam admittere. Ex his patet, Leibnitium putare, Deum determinare futura contingentia, prout illa praeuidit in essentiis aeternis fitis.* 5) Statuit Leibnitus Theod. §. 369. *Adamum peccasse libere, & Deum vidisse eum peccantem in statu Adami possibili, qui factus est animalis, secundum decretum permissionis diuinae. Verum est, pergit, Adamum esse determinatum ad peccandum per certas inclinationes praeuelentes, sed illam determinationem non destruere contingentiam neque libertatem; Et determinatio certa, quae est in homine ad peccandum, non impedit, posse non peccare, (absolute loquendo) & quoniam peccauit, eum esse culpabilem & mereri poenam, quoniam illa poena tam ipsi, quam aliis utilis est, & potest eos determinare, ut alia vice non peccent. Si vero Deus Adamum per certas prauas inclinationes determinauit ad peccandum, destruxit contingentiam liberam peccati. De quibus omnibus in sequentibus plura.*

THESS. XV.

*Essentiae rerum, eo sensu, quo Leibnitus putat,
non sunt aeternae.*

Gentiles, qui materiam aeternam, mundumque aeternum statuerunt, & creationem ignorarunt, docue-

D 2.

runc,

DE ERRORE

28

runt, essentias rerum esse aeternas atque a se ipsis. Putarunt enim, materiam ita fuisse comparatam, ut formas, quas Deus ipsi imprimere voluit, non receperit. Hinc Plato dixit, *mundum babere suam originem ex intellectu DEI aetque necessitate.* Alii dixerunt, *mundum esse a DEO et natura.* Haec Leibnitius ita explicuit: Deum esse intellectum, necessitatem vero & naturam esse naturas essentiales rerum, quae obiectum diuini intellectus fuerunt. Et in illis naturis essentialibus inueniri primitiva bona & mala, easque essentias aeternas, coniunctim sumtas, appellat *regionem veritatum aeternarum*, eamque substituit in locum materiae aeternae. Sed non dantur hoc sensu essentiae vel veritates aeternae. Deus enim non concipit essentias rerum necessario, uti naturam essentiamque suam concipit. Sed Deus essentias rerum concipit, uti indifferens ad eas. Deus essentias rerum concipit prout dependent a suo beneplacito, omnesque illae veritates dependent a Deo, prout ipsi placuit eas statuere; & post placitum eius dici possunt immutabiles & aeternae vel perpetuae. Deus est indifferentissimus ex natura sua ad illas essentias & veritates, potuit eorum naturam statuere vel non statuere, & prorsus omittere, potuit etiam alias & diuersas decernere. Ex qua consideratione patet, extra Dei essentiam nullas fuisse veritates & essentias necessarias & aeternas. Postquam Deus vero illas veritates idealles & essentiales statuit, &, ut ad tempus durent, voluit, ideo fuerunt huc usque immutabiles, possunt vero mutari, aliaeque vel nullae eorum loco statui si Deo placet. Quae ergo iam existunt essentiae, in se & ex se non sunt immutabiles, sed possunt mutabiles fieri ex beneplacito Dei. Qui essentias aeternas statuant cum Leibnitio, negant omnia dependere a placito Dei eumque gloria creationis spoliant. 2) Si Deus intellectu suo conciperet aliquid a se diversum, sibique univocum, quod habet in se similem, necesse

necessariam & essentialem aeternitatis proprietatem, Deus non erit vnum. Sola Dei essentia est absolute necessaria, & haec necessitas est summa eius perfectio. Si absolutam necessitatem essentiis & veritatibus finitis adscribis, eis vnam ex perfectionibus Dei summis tribuis; Si vero essentiis illis vnam ex summis perfectionibus adscribis, necesse est, ut eis omnes tribuas. Sed sic grauiissime in Deum peccas. Si vero essentiae rerum non sunt absolute necessariae, necesse est, ut statuas, eas aliter esse potuisse. 3) Deus solus est a se, habetque talem naturam, essentiam, proprietates & veritates, quarum ratio reddenda est ex consideratione ipsius naturae divinae. Si ergo praeter ipsum Deum singulis quasdam essentias, veritates, & naturas, quae ex inspectione naturarum suarum verae sunt, easque a Deo tanquam extrinsecus aduenientes esse conceptas; confitearis necesse est, dari essentias, naturas, & veritates a Deo independentes, a se ipsis autem dependentes, sibique ipsis sufficienes. Quae tam iuriuria sunt in Deum, ut mihi persuadere non possim, esse prudentem virum, qui ea bene percipiat, & approbet. Sic enim Deus dependet a rebus a se ipso independentibus. Sic cogitationes Dei non penderent a sua sola intelligentia, sed essent ideae rerum & veritates necessariae, quas necessario cogitare deberet diuina intelligentia. Si aliud praeter Deum est necessarium, quo frui deberet; DEVS sibi ipsis non esset sufficiens. Si DEVS aliquid nosset & vellet, tanquam verum et bonum, ideo, quia ab aeterno tale fuit; sequitur, Deum, a causa, a se diuersa, moueri ad intelligendum, & non esse independentem. Sequitur quoque notitiam & perceptionem Dei pendere ab illis, quae non sunt Deus. Deus enim notitiam essentiarum & veritatum illarum haberet ab illis essentiis. His consideratis necesse est ut recurramus ad Deum tanquam ad causam essentiarum earum liberrimam, &

D 3

ad

ad illas indifferentem. Qui afferit, essentias illas necessario conceptui diuino esse inclusas, ille afferit, Dei naturam si ne illis essentiis concipi non posse. Quae manifesto falsa sunt. Si notitia Dei, de illis essentiis non ab ipso Deo liberrimo procedit, sequitur; esse aliquid reale, essentiale, verum, bonum, quod non sit ipse Deus; illudque ens reale determinasse intellectum Dei, ut illud aliter non potuerit concipere, quia ab illo non dependet. Sequitur quoque illa entia realia voluntatem diuinam inclinasse, ut res a se independentes approbauerit, & ad existentiam perduixerit, quod mihi absurdum & falsissimum videtur. Supereft ergo, ut concludamus, omnes illas essentias a placito & voluntate Dei, quae ad eas indifferentes concipienda est, pendere, eaque esse essentialia, vera, propria, bona, quia sic placuerunt Deo, ut ita sint. Scit itaque Deus, se illa talia concepisse ex suo placito, seque ad eas indifferentem fuisse, siumque placitum ea aliter potuisse determinare. Sic Deus est summus Dominus, & nullo sensu ab alio quodam dependet. Nec est, ut obiicias, bis duo esse necessario quatuor, & binarium numerum esse minorem ternario. Resp. Numerum respectu rerum creatarum & idearum, dependere a libero Dei placito, quo voluit extra se plures res existere. Sed rerum creatarum numeri non sunt aeterni & immutabiles neque necessarii. Potuerunt enim illi non esse, non cogitari; Deus enim sine rerum creatarum numeris sibi sufficientissimus fuit, & potuit illis carere. Numerorum igitur veritas, natura & idea dependet a Dei liberrimo placito. Numeri non necessario sunt, quod sunt; sed dependent ex liberrima Dei constitutione, quia Deus ab aeterno iis carere potuit. Excipis numerum unitatis & Trinitatis in DEO, esse ipsissimum Deum aeternum & necessarium. Respondeo: Sed talis numerus unitatis & pluralitatis non est in rebus creatis, quippe

pe quae omnes dependent a placito DEI, quas DEVS libere concipere & non concipere, statuere & non statuere, creare & non creare potuit, numeri ergo non sunt ab aeterno necessarii, sed dependent a Dei placito & statuto. Plura de aeternis ideis dicenda forent, sed hic lubens subsistit. Vide Poireti Cogit. Ration. de Deo, Anima, mundo L. III. cap. X. §. D. pag. 390. seqq. & Baylii Contin. des Pensées div. T. II. §. CXIV. p. 554. Jacobi Thomatii Dilucidat. Stahl. p. 21. seq. & Cartes. Philosophos passim.

THES. XVI.

*Sententia Thomae de Aquino de aeternis essentiis
diuersa est a sententia Leibnitii.*

Thomas statuit essentias rerum esse formas incorruptibles intra Deum, ita, ut simplicissimae essentiae diuinæ identificantur, & vnitati potius, quam numeris sint comparabiles. Sic essentiae creaturarum, prout sunt in Deo propriæ loquendo, non sunt essentiae creaturarum, sed una simplicissima essentia Dei, iuxta illud (nihil est in Deo, quod non sit ipse Deus) & sumitur essentia diuina tantum cum relatione ad creaturas. Quo sensu essentiae creaturæ non denominant intrinsece, sed extrinsece. Hinc creature esse suum habere dicuntur in creatore non formaliter, sed virtualiter, idealiter & eminenter. Conf. M. Iac. Thomatii Diluc. Stahl. p. 29. n. 21. n. 12. n. 10. Leibnitius vero essentias alio sensu accipit. Sequitur ille Platonem. Plato vero statuit essentias a Deo non solum, sed a materia separatas. Existimat enim Plato, essentias multitudinem & numerum praese ferre, quas non in Deo ipso, sed in mente a Deo proxima, quam & mundum intelligibilem vocabat, collocavit. Iac. Thomas. Diluc. Stahl. p. 23. n. 8. Leibnitius statuit aliquam regionem veritatum ae-

ter-

ternarum extra Deum, vti Plato mundum idealem extra Deum statuit. Porro vti mundus idealis Platonis fuit obiectum intellectus diuini; sic Leibnitius statuit naturam essentialem rerum, quatenus consistit in aeternis veritatis esse obiectum intellectus diuini. Vti mundus idealis Platonis fuit causa omnium rerum exemplaris, sic Leibnitii regio veritatum aeternarum est causa idealis omnis malorum & boni. Conf. §. 20. Theod. Leibnitius etiam proprius accedit ad Scotum quam ad Thomam. Scotus enim aeternas rerum essentias extra Deum posuisse existimatur. Conf. Iac. Thomas. Dilucid. Stahl. p. 26. n 15. & num. 16. Sed has Thomas in ipso Deo posuit, vti vidimus. Sed quoniam Plato ideas suas & Leibnitius regionem veritatum aeternarum volunt esse proprias rerum essentias extra Deum; neque tamen tales ideae aut veritates dantur, opinio eorum veritatem amittit, & damnanda est, quia negat, unum solum Deum esse aeternum.

THESES. XVI.

Mala metaphysica Leibnitii sunt ficta.

Supponit Leibnitius, essentiis aeternis inhaerere imperfectiones & mala metaphysica; hinc essentiis illis, ad existentiam perductis inesse ignorantiam in intellectu, inclinationem ad mala in voluntate, putat. Inde porro docet illas prauas inclinationes ex malis metaphysicis ortas esse causam remotam peccati originis. Sic loquitur in Theod. §. 288. *Nos stabiliuimus, liberum arbitrium esse causam proximam mali culpe, & deinde mali poenae; quamuis verum sit, quod imperfectio originalis creaturarum, quae repraesentata inuenitur in idaeis aeternis, eius mali sit prima & remota causa.* Eandem sententiam proponit L. c. §. 20. vbi dicit; *Causa peccati*

cati quaerenda est in natura ideali creaturae, quarenuis illa natura continetur in veritatibus aeternis, quae sunt in intellectu Dei, sed non dependent ab eius voluntate. Considerandum enim est, quod si imperfectio originalis in creatura ante peccatum, quoniam creatura essentialiter limitata est: vnde est, quod non omnia possit scire, quod se possit fallere, & facere alia peccata. Hunc errorem ex Leibnitio desumptum proposuit quoque Cl. Carpouius in Theol. reuelata §. 629. Denique inquit, homo intellectu limitato tantum gaudet, quia creatura est, quae non potest non limitata, & hinc mala metaphysico obnoxia esse. Vnde patet ipsam creaturae limitationem esse ultimam possibilitatis moralis originem. Sed non haesito profiteri omnia illa mala metaphysica esse ficta. Vidimus essentias illas aeternas, quae a se esse dicuntur, esse fictas, ex quo sequitur, etiam illa mala metaphysica, quae illis inhaerent, esse ficta. Gentilium errorem, qui materiae & mundi aeternitatem statuerunt, Leibnitius reuocauit; quod hi materiae adscriperunt, ille fictis suis essentiis adscribit, quas in locum materiae substituit. Theod. §. 20. Omnes essentiae sunt a beneplacito Dei statutae, nec iis infuit malum metaphysicum. Ipsa definitio mali metaphysici, quam Definit. 161. Leibnitius dedit, indicat eorum falsitatem. *Malum metaphysicum*, inquit, est nuda absentia perfectionum in entibus creatis, quarum recipiendavum per essentiam suam incapaces sunt. Aduerte 1) hanc definitionem esse negatiuam, quae nihil ponit. 2) Describere imperfectiones, quae sunt in essentiis aeternis, quae a se ipsis sunt. Sed essentiae aeternae, quae sunt a se ipsis, nullas concipiuntur habere imperfectiones, sunt enim aeternae & a se ipsis. Ens quod a se ipso est, perfectissimum est. Quis limitauit illas essentias? Non Deus. Inquies, fato limitata sunt, habeo, quod volo. Leibnitius hoc loco corrumpit notiones rationis euidentes. Consideremus creaturarum perfectiones, ut earum imperfectiones cognoscamus. Perfectio creaturarum metaphysica est comprehensio attributorum essentialium, vel etiam partium ad substantiae essentiale integratem pertinentium. Vel

E

per-

perfectio est, per quam enti eorum nihil deest, quae ad ipsius essentiam pertinent. Ex hac definitione cognoscimus, quae sit creaturae imperfectio, quando nimis aliquod attributum esse, vel pars ad essentialem integritatem pertinens deest. Hinc patet, creature, quae diuinæ proprietates non habere possunt, inepit dici imperfectas. Quis dixerit, creature rationales esse imperfectas, quia non sunt Dii? Quis dixerit, essentias aternas, & a Dei voluntate non dependentes, esse imperfectas, quia sunt a voluntate Dei creatae. Si essentiae malis metaphysicis contaminatae, a Deo creantur, Deus erit causa mali. Pistor, qui panes venenosos coquit, est malus. Si peccata hominum oriuntur ex malis metaphysicis & necessariis, quaero, cur Deus puniit peccata? Si peccata ex imperfectionibus essentialibus oriuntur, cur Deus ad existentiam perduxit illas essentias? nonne sapientiae diuinæ magis conuenisset, essentias peccaminosas non creare. An Deus delectatur miseriis hominum? Cur Deus dixit primis hominibus, imperfectionibus & malis metaphysicis contaminatis: Crescite & multiplicamini & replete terram, Gen. I. v. 28. Nonne sequitur, Deum approbasse & creasse mala metaphysica? Leibnitiani Socinianorum errorem defendunt. Socinus enim in praelect. Theol. Cap. III. pag. 539. rebellionem ante lapsum his verbis confessus est: *potius ex eo, inquit, quod Adamus deliquerit, appareat, appetitum ac sensus, dominatos rationi fuisse, neque bene inter banc & illos anteā conuenisse.* Leibnitii figuramentum est Isaaci Peyrerii inuentum, qui in System. Theolog. lib. I. cap. II. pag. 7. eundem errorem proposuit. *Duplex peccatum, inquit, statuemus in Adamo: Naturale & legale. Naturale, quod naturaliter Adamo inhaesit ex vitio naturae suae, & materiae peccataricis, qua formatus est; Legale, quod accidit & imputatum fuit Adamo, ex violata lege Dei.* Magnopere miramur, clariss. Carpouium Leibnitii errorem in Theologiam reuelatam introduxisse. In Theologia reuelata docentur ea, quae a Deo reuelata sunt, sed ubi, queso, scriptura sacra malorum metaphysicorum, vel prauarum inclinationum naturaliter essentiis inhaerentium mentionem fecit? An ea diuina sunt, quae Leibnitius dixit? Nescitne Dn. Carpouius

pouius, quae reuelatio diuina nos docuit de mundo & Adamo creato? Legitne, quae Moses docuit; Deum adspexisse omnia, quae fecit & fuisse valde bona? Legitne, hominem ad imaginem Dei esse creatum? Nescirne, quae sit imago DEI? Putatne, in primo Adamo imaginem diuinam comprehendisse prauas inclinationes? Nescirne, imaginem diuinam comprehendere lumen intellectus ad obsequia Dei sufficiens? negatne, voluntatem hominis per gratiam Dei fuisse inclinatam ad bonum? Putatne, Adamum creatum fuisse labilem tantum, non vero simul illabilem? Scio Leibnitianos hucusque docere, Adamum a Deo creatum esse labilem; & negare, eum lapsum potuisse eritare. Sed propterea non verum est Deus, ex cuius bonitatis placito omnes essentiae statutae sunt, creauit essentias bonas, nullis inherenteribus malis contaminatas. Origo omnis mali est ex abusu liberi arbitrii, vel indebita eius determinatione, quod toties scriptura sacra docuit.

THES. XVII.

Liberum arbitrium a Leibnitio descriptum est falsissimum.

Leibnitius cum Spinoza putauit, praesentem mundum esse machinam; sed cum videret, eius sententiam eruditis non placuisse, & ideo Atheismi suspicionem incurrisse, aliam excogitauit huius mundi mechanici explicationem. 1) Finxit essentias aeternas, 2) iis indidit imperfectiones & mala metaphysica, quibus 3) addit monstruosam libertatis humanae explicationem, ea intentione fieri, ut hominum actiones liberas certas & necessarias redderet, & machinae mundi, quam finxit, accommodaret. Videamus eius definitiōnē libertatis, quam in Theod. §. 238. proposuit: *Ostendimus, inquit, quod libertas, quam in Scholis Theologicis querimus, consistat in intelligentia, quae inuolut cognitionem distinctam obiecti deliberandi, in spontaneitate, qua nos ipsos determinamus; & in contingentiā, i. e. in exclusione necessitatē logique vel metaphysicæ.* Haec quidem definitio veritatis speciem prae se ferr, sed si explicationem, quam Leibnitius subiicit, consideras, cognoscēs, eam non exhibere sensum liberi arbitrii, sed potius coactam spontaneitatem, quod cognoscēs, si sequentia animadueritas. Dicit Leibnitius, libertatem consistere in intelligentia, quae inuolut cognitionem distinctam obiecti deliberandi. Sed hanc intelligentiam denegar animae, dum essentiae eius imperfectiones originales affingit, quae repraesentantur in ideis aeternis, easque primam & remotam causam

sam peccati originalis appellat. Theod. §. 288. & §. 20. Hic error fluit ex eius essentiis aeternis, quas fixit, esse a se ipsis; Sed supra negauimus, dari eiusmodi essentias aeternas, & docuimus, omnes essentias a Dei beneplacito esse statutas, negauimusque, animae Adami inhaesisse eiusmodi imperfectiones. Si Deus animae Adami indidisset eiusmodi imperfectiones, autor peccati esset. Deus creauit animam Adami puram, sufficienti legis suae scientia instructam, nullisque prauis inclinationibus maculatam. Negamus, quae Leibnitius Theod. §. 369. scripsit: *Verum est, inquit, Adamum se determinasse ad peccandum, propter certas inclinations praeualeentes.* Si enim Adamus se determinauit ad peccandum per quasdam inclinationes praeualeentes, sequitur Adamum per naturam ad peccandum esse inclinatum. Sic Deus naturae eius corruptae conditor, est causa peccati; nec Adamus habuit libertatem non peccandi, & in bono perseverandi; Sed hoc posito Deus iuste peccatum Adami punire non potuit.

2) Corruptit Leibnitius liberum arbitrium, dum non solum intelligentiae, sed & spontaneitati imperfectiones naturales; sed etiam contingentiae determinationem infallibilem adscribit; dicit enim Theod. §. 288. *Bonum est interim, ostendere, quod imperfectione inueniatur in nostra cognitione & spontaneitate, & determinatio infallibilis sit involuta in nostra contingentia, quae non defruunt neque libertatem neque contingentiam.* Sic ex mente Leibnitii, infallibilis Dei determinatio libertatem & contingentiam non destruit. Sed vide nostros Theologos. Vidimus imperfectiones naturales, quas Leibnitius attribuit intelligentiae; iam considerabimus eius spontaneitatem. Hanc ex mente Idealistarum & systemate harmoniae praestabilitas explicit Theod. §. 291. Ostendit inquit, *naturaliter omnem substantiam simplicem habere perceptionem, & eius individualitatem consistere in lege perpetua, quae facit seriem perceptionum, & quarum una ex altera sequitur, ut repreäsentet corpus ipsi assignatum, & per hoc integrum uniuersum, secundum punctum visus substantiae simplici proprium, ut anima non habeat opus illa influentia physica;* Hanc opinionem fictam ab aliis fusa refutatam iam non persequar. Supponit Leibnitius, quod nullibi probavit, animam ex se ipsa secundum certam legem suas producere perceptiones, quas sequuntur certae appetitiones. Supponit perceptiones, in certa serie praestabilita sequi. Sic perceptiones & appetitiones in seriem mechanicam reducit,

reducit, & machinas suae accommodat. Negat quoque res externas influere in animam eamque ad certos appetitus mouere, ne influxus externus & arbitrarius factam suam seriem turbet. Quae si vera essent, sequeretur, serpentis seductoris persuasionem non influxisse in animam Euae; sed hanc ex malo metaphysico prodigio, prout a Deo praestabilitum; Sequitur etiam, persuasionem eam inclusam fuisse in serie perceptionum & appetitionum Euae a Deo praestabilita. Quae sententia quam falsa, & in Deum creatorem iniuria sit, aliis iudicandum relinquo. Spontaneitas, quae ex prauis inclinationibus agit, non est libera spontaneitas. Nec Leibnitii spontaneitas admitti potest, quia animae saltem appetitiones, non vero vim corpus suum mouendi attribuit; qualis vero est illa spontaneitas, quae membra corporis externa non mouere potest? Theologi, qui Leibnitium sequuntur, sciant, se non explicatur esse verba Pauli Rom. VI. v. 12. 13. & 19. vbi S. Paulus animae potentiam corpus mouendi euidenter adscriptis. Sic Leibnitius multis modis spontaneitatem corrupit. Tandem 3) contingentia Leibnitii in actionibus hominum liberis est pura certitudo & necessitas. Leibnitius enim dicit Theod. § 288: *Determinationem infallibilem esse inuolutam in nostra contingentia.* Et §. 65. a contingentia secludit libertatem & eius indifferentiam, his verbis: *Omnis difficultas orta est ex falso conceptu contingentiae & libertatis, quae habere creditur indifferentiam plenam vel aequilibrii; quae est res imaginaria, cuius neque exemplum negare ideam habemus.* Conf. §. 367. vbi similia. Notandum vero est, Leibnitium grauiter inuehere in libertatem indifferentiae, & in plenam libertatem, quia praeaudit, eam, suam mundi machinam, in qua omnia certo ordine & necessario procedunt, destruere. Sed plenam libertatem in rebus civilibus experientia docet. Quius in se ipso deprehendit, in potestate sua esse, stare vel sedere, deambulare potius in hanc quam in illam partem, oblata occasione consentire peccato aut non consentire, vel illud respuere; porrigere elemosynas pauperi petenti, aut non porrigere. Insanae mentis esset, ab hominibus tollere libertatem arbitrii. Quis denegabit primis parentibus in statu innocentiae plenissimam libertatem tum ad declinanda ea omnia, quibus a fine auerti potuerunt, tum ad exercenda ea, quae ad assequendum finem erant necessaria. B. Augustinus in libro de Correptione & gratia Cap. X. Tom. X. p. 505. hoc arbitrium adscriptis primis parentibus his verbis: *Sic*

&

38 DE LIBERO ARBITRIO FALSO DESCRIPTO.

Et hominem fecit Deus cum libero arbitrio, & quamvis sui futuri casus ignarum, tamen ideo bearum, quia & non mori & miserum non fieri in sua potestate esse sentiebat. In quo statu recte ac sine vitio, si per ipsum liberum arbitrium manere voluisset, profecto sine ullo mortis & infelicitatis experimento acciperet illam meritum huius permansionis, beatitudinis plenitudinem, qua & sancti Angeli sunt beati, i. e. ut cadere non posset ultius. Et hoc certissime sciret. Et nisi dixeris, liberi arbitrii pleni abusum esse causam omnis mali culpae, Deum a causa mali non liberabis, vel causam mali culpae sine libertate plena ad oppositum, non intelleges. Malum culpae neque in autorem naturae, qui liberum arbitrium hominibus contulit ad bonum, malumque prohibuit; neque in essentias aeternas, earumque prauas inclinationes, vel imperfectiones, quas Deus condidit; sed in hominem ipsum, qui suum arbitrium non recte determinauit, tanquam in propriam causam, reiciendum est. Leibnitius radicem contingentiae in actionibus hominum liberis profructus negavit, quia praecudit eam sive fictae machinae esse noxiā. Perpendendum itaque est, voluntatem Dei, que liberum arbitrium angelorum, & hominum condidit, esse primam & remotam contingentiae radicem. Proximam vero & immediatam radicem contingentium actionum esse liberum arbitrium angelicum & humanum. Probamus hoc, quoniam ceterae causae secundae ex necessitate naturae agunt; solum vero liberum arbitrium angelicum & humanum in sua potestate habent, hoc aut illud uno vel altero modo agere, vel omnino abstinere ab operatione, quae ab ipsis posset emanare. Hanc contingentiae radicem in actionibus humanis Leibnitius profructus negavit, quae tamen fundamentum est omnis moralitatis. Negata vero hac contingentiae radice inane moralitatis idolum nascitur profructus abominandum. Ex obseruatis ad oculum patere existimamus, Leibnitius mali originem non explicuisse, licet regionem aeternarum veritatum & possibilium aeternasque essentias malis metaphysicis contaminatas fixerit. Origo mali non declaratur hypothesibus Philosophorum fictis; sed recurrendum est ad sanctam revelationem, que originem mali ex abuso liberi arbitrii deduxit, qui omnium malorum, dolorum, misericordiarum, calamitatum & ipsius mortis fons & scaturigo est. Hoc longe fuisus fuisse explicandum, sed quoniam alii laboribus, nostris officiis debitissimis, impeditur, hic subsisterimus, & grato corde dicemus Optimis, sapientissimo, iustissimo & potentissimo DEO gratias.

SOLI DEO GLORIA.

Index Thesum.

| Theſeſ | pag. |
|--|------|
| I. Famofa eſt quaefio, ſi Deus eſt ſapiens & bonus, unde eſt peccatum? | 3 |
| II. Deus eſt Sapiens. | 4 |
| III. Deus eſt bonus. | 6 |
| IV. Deus eſt omnisciſ. | 9 |
| V. Deus eſt iuſtus. | 11 |
| VI. In Deo eſt iuſtitia legislatoria. | 12 |
| VII. In Deo eſt iuſtitia vindicatiua. | 13 |
| VIII. Iuſtitia Dei non reſte describitur a Leibnitio. | 14 |
| IX. Deus eſt Potens. | 15 |
| X. Protoplasti creati ſunt in ſtatu libertatis. | 20 |
| XI. Deus creauit primos homines ad imaginem ſuam. | 22 |
| XII. Protoplasti ante lapsum in beato immortalitiſ ſtatu creati fuerunt. | 23 |
| XIII. Peccatum protoplastorum conſiſtit in libera receſſione a Deo. | 24 |

- Theſ. pag.
- XIV. Leibnitii Systema de lapsu Adami varias ſupponit hypotheses falſas. 25
- XV. Effentiae rerum, eo ſensu, quo Leibni-
tius putat, non ſunt aeternae. 27
- XVI. Sententia Thomae de Aquino de aeter-
nis effentiis diuersa eſt a sententia
Leibnitii. 31
- XVII. Mala metaphysica Leibnitii ſunt ficta. 32
- XVIII. Liberum arbitrium a Leibnitio de-
scriptum eſt falſiſſimum. 35




ad 17

99 A 6960

240





a. 3 4

DISSERTATIO THEOLOGICA
SISTENS
**V INDICIAS
SAPIENTIAE, BONITATIS
SCIENTIAE, IVSTITIAE ET PO-
TENTIAE DIVINAE CIRCA
LAPSVM ADAMI
CONTRA OPINIONES LEIBNITII
P R A E S I D E
IO. GEORGIO ABICHT
S. THEOL. DOCT. ET PROFES. PVBL.
CONSIST. ASSESS. PASTORE ET
SVPERINT.
PRO CANDIDATVRA IN THEOLOGIA
OBTINENDA
AVCTORE
M. IO. RVDOLPHO KIESLING
ECCLESIAST. ET DIAONO VITEMBERG.**

D. IX. IVN. A. R. G. CIO IO CC XXXIX.

VITEMBERGAE
TYPIS EPHRAIM GOTTLLOB EICHSFELDII
ACADEMIAE TYPOGRAPHI.

